

Johann Quistorp Christoph Parschitz

## Repetitiones Decalogi Anti-Papistici

Rostochii: Richelius, 1666

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740046098>

Druck Freier  Zugang






RU theol. 21.Apr.1666

Quistorp, Joh./a
















Σὺν τῷ Θεῷ.

Repetitiones

DECALOGI  
ANTI-PAPISTICI.

*Quas* 15

Publ. exhibent

*In*

Universitate Rostochiensi,

PRÆSES

JOH. QUISTORPIUS,

ΘΕΟΛΟΓ. D. Fac. Senior,

& Past. Dominicæ.

*ac*

RESPONDENS

CHRISTOPHORUS PARSCHITIUS

Rosoberogâ Hungarus, Theol. Stud.

*die XXI. April.*

In Auditorio magno, horis matutinis.



ROSTOCHII,

Typis Johannis Richelii, Senat. Typeogr:

Anno M DC LXVI.

1666



DE GAI OOI  
ARTI PASTICE

Universitätsbibliothek

ROSTOCK

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock





I. N. J.  
Repetitiones.  
DECALOGI ANTI-PAPI-  
STICI.  
Thes. I.



Roterva ignorantia primorum religionis Christianæ Elementorum, *Catechismi* sc. pl. parit Neo-Pontificios Audivimus enim crebro vocem hanc Filiorum hujus seculi: Pontificios in fundamento à Nobis hæc discrepare, saltem cœtum Doctorum nodum in scirpo quærere, & illa de quibus Scholastici disputant, citra dispendium salutis ignorari posse. Sed quæ hæc turpis sit ignorantia juris, demonstrabimus, Deo duce, hisce. Ubi non spissis controversiis de lana caprina, quibus volumina Scholasticorum Papalium repleta sunt, immorabimur; sed de simplici ac plano ostendemus, Doctrinam Papisticam, in plurimis è diametro pugnare, cum *Decalogo*, *Symb. Apost.* *Oratione Dominica*, *Baptismo*, & *Cœna Domini*, &c. (quæ summam capitum Scripturæ Propheticæ & Apostolicæ, legem & Evangelium, imò doctrinam salvificam in se comprehendunt; A quâ nullâ cruce seu martyriis se divelli passi sunt, prisce Christi fideles, & ex his primis Elementis Theologiæ, Papatum refutari posse.

II. Res meo arbitrato non cateret successu, si saltem eundem nobiscum *infallibilem judicem controversiarum* agnoscerent. Quod animadvertens Luth. T. I. Jen. p. 289 scribit: Die Romas nissen haben drey Mauren um sich gezogen/ damit sie sich beschützet/ daß sie niemand hat mögen reformiren. 1. Wenn man auff sie gedrungen mit Weltlicher Gewalt/ haben sie gesehet/ Weltliche Recht haben nicht recht über sie/ sondern Geistlich sey

A

lich sey



lich sey über die Weltliche. z. Hat man sie mit der H. Schrift  
wolt straffen / sehen sie dagegen / Es gebühre die Schrift  
niemand aufzulegen als der Pappst. 3. Dremt man ihnen mit  
einen Concilio, so ertichten sie / es müge niemand ein Concili-  
um beruffen / denn der Pappst. Non etenim ad *S. fontes*; sed  
(a) *ad Vulgatam* Latinam versionem corruptam, Concilium Tri-  
dent. Sess. 4. suos remittit. (b) *Sex priorum seculorum Patres*,  
(quos tamen identidem *index expurgatorius Hispanus* dedit à o-  
perâ, obelisco suo confixit,) haud lubentes allegari à nobis audi-  
unt; Postquam cum aliis, Joannes Ivellus, Angliæ Episcopus,  
adversus Hardingum probavit, XXVII. quæst. *Papistarum*,  
destitui monumentis Scripturæ omnium Conciliorum ac Pa-  
trum, quæcunq; sexcentis à nato CHRISTO annis, antiquiora  
sunt. (c) *Proximiores Scriptores*, qui omnes Episcopum Roma-  
num pro Oecumenico agnoscunt; quique (d) præviâ censurâ, &  
speciali approbatione corruptorum Censurum Romanensium,  
editi sunt, controversias dirimere haud possunt, cum sint pars liti-  
gans. (e) Quod si autem Nosmet ipsis accommodamus, citando  
quædam ex *Conciliis & jure Canonico*, argutè se excusant; dicentes,  
hæc intelligi semper debere, *salvo in omnibus jure Romane Ecclesie*.  
Et si nonnulla in *Decretis* ullo modo vergere possunt in illorum præ-  
judicium, ibi mox voce *Palea* cancellant ista omnia. Quare o-  
mnia frustranea erunt, quamdiu suis non permiserint legere *Cod.*  
*Sacr. & Priorum Scripta* incorrupta. (f) Hinc laudopiam fraudem  
*Joachimi Krazij*, J. U. D. & *Cavalliero di S. Marco*, hominis *provisus*  
Lutherani, qui *D. Habermanni* Theologi Evangelici libellum pre-  
cationum, Italicè à verbo ad verbum reddidit, & excudi Magde-  
burgi curavit; non verò Neapoli (licet id prætendat,) per *Emeri-*  
*co Kirchnero*, col *Licenza di superiori*, Anno 1621. Quæ precationes à  
Pontificiis sæpiùs recusatæ, ab iis quotidiè recitantur, & sine pericu-  
lo circumvehuntur. B. Lutheri Catechesis initio omissò nomine  
auctoris, edita Italicè in pretio habebatur; Sed ubi Lutherum e-  
jus compilatorem esse resciverunt, Catechismum ad ortum da-  
mnarunt. Ideo mallet ut sub eodem saltem prætextu, aditum no-  
bis ad Papistas pararemus. Nec vitio nobis vertent, cum ipsi alio-  
rum scripta quandoq; pro suis venditent, sicuti notum est de  
*Laurentio*



*Laurentio Villa Vincentio Hispano, qui egregium Hypperii librum de Theologo, suo sub nomine orbi Pontificio obtulit.*

III. Quod attinet Catechismum, ejusque sub Papatu ignorantiam? Audiamus *D. Lutherum* in seiner Vermahnung an die Geisligkeit/ versamlet auff den Reichstage zu Aupsurg Anno 1530 quæ Tom. V. Jen. Germ: f 83. b. sic sonat: Im Pabstthumb lag die alte Lehre vom Glauben Christi/ von der Liebe/ vom Gebet/ vom Creutz/ vom Trost in Trübsahl gar da nieder. Ja es war kein Doctor aller Welt/ der den ganzen Catechismum/ das ist/ das Vater unser/ Zehen Gebott/ und Glauben gewusst hätte. Schweige/ daß sie ihn solten verstehen und lehren/ wie er dann jetzt **GOE** lob gelehret und gelernet wird/ auch von jungen Kindern. Des beruffe ich mich auff alle ihre Bücher/ beede Theologen und Juristen/ wird man ein Stück des Catechismi recht draus lernen können/ so wil ich mich rädern und ädern lassen. Cui veritati nec *Eccius*, nec *Cochlaus*, qui illo tempore Augustæ Vindelicorum presentes erant, obloqui potuerunt. *D. Lutherus* demùm à tinea eum liberavit, & publicè proponendo, juventuti inculcavit. Cujus ad exemplum, mox in elapso seculo *Ignatius Lojola*, Catechismum in urbium plateis, & de suggestu natu minoribus & grândioribus proponere cœpit, uti in hujus Seducatoris vita *Maffejus lib. 2. c. 7. § 14.* id habet. Paulo post, *Petrus Canisius* ejusdem Societatis homo, primus omnium in Germ Catechismum ac corruptum, Ingolstadii edi curavit, ne *Lutherus*, Catechetica doctrinâ, Papatum felici successu destruere pergeret.

IV. Sed accedamus ad primum caput doctrinæ Catechetiæ, DECALOGUM, quem Christiani sub Nov. Test. retinuerunt, ut inde discerent peccata sua agnoscere; ut esset pædagogus ad Christum, *Gal. III, 24.* qui legi satisfecit pro nobis, & nos à maledictione liberavit; & ut per pœnitentiam cum DEO reconciliati scirent juxta quam normam veros fructus pœnitentiæ ferre debent. Est enim hæc Lex æterna, licet eam perfectè & interiori obedientiâ cordis, immunes ab omni concupiscentiæ labe, implere,



non possimus, & scientes ei refragemur. Pontificii sunt hic nobis contrarii, dum renatis in hac vita (qui saltem Spiritus primitias accepere,) toto corde legis impletionem tribuunt, & eò ipso Christi obedientiam vitæ ac mortis conculcant, qui ad id in mundum venit, ut pro debitoribus Hominibus legem solus impleret. *Gal. III, 12. c. IV, 4 Rom. VIII, 3. Matth. V. 17.*

V. Hujus Decalogi præceptum I. *Non habebis Deos alienos coràm me.* Seriò vult, ut unum verum & æternum Deum agnoscamus, filiali timore ac amore complectamur, & ipsi soli confidamus. At in Papatu nullum Regnum, nulla urbs, nullum opificium exstat, quibus non certi sint attributi Patroni seu Dii, quos ament, timeant, honorent supra modum, quibusquè se homines in vita ac morte committant. Ex DEO enim Tyrannum faciunt, (cui tamen in deliciis est, benefacere hominibus,) à quo nullus sibi quidquam boni promittere possit, nisi prius gratiam ejus captarit, per intercessionem horum sanctorum Patronorum, qui Deo sunt à latere.

VI. Nec cum appendice primi præcepti, *Non facies tibi sculptile, neque ullam similitudinem eorum, qua sunt in celo desuper, & qua in terra deorsum. Non adorabis neque coles ea. Exod. XX, 4. & 5.* sunt contenti. In quovis enim angulo, in publ. eorum viis conspiciuntur sculptilia, variis coloribus auro & argento incrustata; haud absimiles Judæis, de quibus *Jerem. c. II, 29.* Quot urbes, tot Deos habes ò Juda! Quibus divinum deferunt cultum, caput denu-dant, in genua procumbunt, à quibus cælestia & terrena bona petunt, illisque honorem soli Deo debitum deferunt, id quod illorum Doctor Angelicus *Thomas de Aquino T. XII. p. 3. quest. 25. art. 3. pag. 98.* his verbis ipse fatetur: Eadem reverentia exhibeatur imagini Christi, & ipsi Christo. Cum ergò Christus adoretur adoratione patriæ, consequens est, quod ejus imago sit adoranda adoratione patriæ.

VII. Præceptum II. vult, *ne assumamus nomen Domini Dei nostri in vanum,* vel ad Deum sanctiss. provocemus in iis, quæ in Verbo suo non mandavit, nec fieri cupit. Contrarium fit in absolutis votis Monasticis. Votum siquidem est promissio facta Deo delibe-

ratè



ratè, de bono possibili, respectu voventis & meliori. Thomas, 2, 2.  
q. 38. Nam promittere aliquid quod non est in potestate promit-  
tentis, est promissio irrationabilis. Sæpè à tenerimis pueris, ac  
puellis, quos religiosa Matres ex superstitione claustris Monasti-  
cis includi curant; vel suis illecebris irretitos eò dolosè traxe-  
runt, qui rectè vivere adhuc nescii; & num illud verbum *Matth.*  
*XIX. 2.* cum ad ætatem adultiorè pervenerint, capere possint igno-  
rant. Deo tamen sanctè & sine conditione se obstringere cogun-  
tur, quod velint per integram vitam *Castitatem*, (licet sit singulare  
donum *1. Cor. VII, 5.*) servare. (Votum autem castitatis, iis nihil  
illud revera est, quam abjuratio conjugii.) *Pauperes* esse inter opu-  
lentissimas Abbantias, & abundantiam omnium rerum, & *Obedien-*  
*tiam* præstare à *yeq̄* *Q̄*, regulis Ordinum; quodque levius sit pec-  
catum, nomine Domini abuti, quam præstito huic Voto renuncii-  
are. *Illis quatuor votorū* Theologus, idoneus esse debet, in quacunq;  
universitate Theologiam publice cum laude & plausu profitendū  
juxta Joh. Georg. Tremellium in apologia p. 118. Sed quis necum  
non asseverabit, his votis impingi admodum in hoc Præceptum  
potius majori jure in eos quadraret vulg: votū *Paupertatis* servatis  
in lecto, quandò in solo decumbitis indulto. *Castitatem* in altari,  
quando legitis missam: & *Obedientiam* in refectoria, quando ad  
signū Campanæ comparetis ad prandendum, & coenandum. Huc  
quoque est referenda Papistarum opinio, cum ajunt, *creaturas san-*  
*ctificatas signo crucis, & præcatiunculis quibusdam, rectè adhiberi ad ef-*  
*fectus supernaturales*, Bellarm. tribuit ejusmodi benedictis febus, a-  
quæ, cereis, oleo &c. vim morbos è corporibus, peccata ab ani-  
mis, Satanam ab hominibus, pellendi. *Marchant.* in Hort. Pasto-  
rum, tract. 3. lect. secunda, propos. secundà, Agno Dei consecrato  
& de collo suspenso, tribuit virtutem profligandi dæmones, tem-  
pestates, pestilentias, ignes, fulgura. Virtute illius, gravidas cum  
fructu ventris servari incolumes &c. Sane in his casibus, creatu-  
ræ adhibentur ad id, ad quod non sunt à Deo institutæ. Et istius-  
modi precationibus ad creaturas consecrandas in alium usum,  
quam Deus mandavit, nomen Domini assumitur in vanum. Si  
licet aqua vel oleo, benedictione Pontificiâ consecratis uti, ad  
pellendos



pellendos morbos, quare non liceret quoque uti chartâ, cui inscripta vox *Abra cadabra*, ad curandum hemitritæum, inodò ea charta similiter consecratur? quod tamen Pontificii inter peccata, & magicas artes reputant. Propter talia quoque Liber Tobia, inter Apocryphos refertur. Chrysostomus in opere imperfecto Hom. 45. arguit suâ ætate hâc superstitionem, his verbis: Quidam sacerdotes, partem aliquam Evangelii alligant circa collum: dic sacerdos insipiens, nonne quotidie Evangelium legitur in Ecclesia, & auditur ab hominibus? cur E. in auribus posita Evangelia non profunt: quomodo eum poterunt circa collum suspensa salvare? ubi est virtus Evangelii, in figuris literarum, an in intellectu sensuum?

IX. Præceptum III. injungit cum aliquo NB. *dies Sabbathi sanctificationem*, verbi Divini attentam meditationem; undè & Judæi singulis Sabbathis omnino à rebus terrenis abstinebant, & in Synagogis nil nisi Pharascham ex Mose, & Haphtarum Prophecticam recitabant. Videamus autem Sabbatham Papistarum: In his olim conciones ex Aristotele, & Scholasticis, ad rudem populum habebantur, altum ibi silentium erat de DEO, de opere Redemptionis per Christum, de fide & Evangelio; ex sacro Codice vix dictum aliquod allegabatur, orationes meris Legendis & fabulis de *S. Ignatio, Christophoro, Georgio, de S. Brigitta, Catharina, Ursula, & de S. Maria*, incrustatæ erant; evolvat quis Papistarum Homilias seu *Postilla* antè Lutherum, & me nihil à veritate alienum dixisse fatebitur. Destinavit DEUS Sabbathum, & dies festos unicè in sui Nominis gloriam, dum ait: Dominum DEUM tuum adorabis, & ipsi soli servies *Deut. VI, 5. Matth. IV, 10.* Sed hoc non obstante, Papicolæ in honorem Sanctorum plures dies festos instituerunt, quàm sunt annuatim ipsis Sabbatham, seu Dies Dominici, undè & prognatum inter ipsos illud dicitur. Qui vult Sanctorum servare singula festa, is non potest clarè cum Codice scire Digesta. Opinionem insuper operis operati, meriti, Festis suis assuerunt. Et ne quid desideraretur in cultu Sanctorum, proh! quot templa & quantis cum sumptibus in Sanctorum honorem exstruxerunt! Rostochii quatuor templa præcipua, *Maria, Jacobo, Petro, Nicolao*, sacrata fuerunt, nullam in honorem DEI Triuni exstructam Parochialem



chiam adem sacram hęc habemus. Planè contra praxin primitivæ Ecclesiæ, ubi Sacraria omnia uno nomine *Kyriaxi Dominica*, Germanis *Birchen*/dicebantur. Huc quoque spectat temporum & festorum mutatio, & confectura *Calendarii Gregoriani*, notula Antichristi. Dan. VII, 25.

IX. In præcepto IV. jubet DEUS, *Honore Patrem & Matrem, ut sis longævus super terram.* Quicquid seniores seu parentes in statu Oeconomico, Politico, & Ecclesiastico præceperint, id faciendum, si saltem non sit contra pietatem & honestatem. Pontifex Tyberinus verò obligationem, quam hoc præceptum injungit, tyrannicè tollit, & filios contra parentes, & subditos contra Magistratum excitat, & ut iis ægrè faciant sæpè mandat. Ad quod probandum, sufficiat hoc unicum *Gregorii VII.* qui Henricum V. cum subditis contra Parentem suum & Casarem armabat, uti quàm accuratissimè ex ore, ejus temporis Scriptorum, hæc facinora excerpfit *Jacobus Usserius* Hiberniæ Theologus, de statu Christianarum Ecclesiarum in Occidente. Alia quam plurima exempla, Regibus & Imperatoribus contumeliosa, citat *Bellar. Tom. I. Cont. de Pontif. Roman. lib. 5. cap. 8.* & non erubescit apertè fateri, Episcopum summo jure, temporali potestate uti posse, etiam in eos, qui potestatem super alios acceperunt; nec injustè pl. Casares à Pontificibus de throno regali detrusos fuisse. Quis negabit, hoc ipso Papas se extollere supra omnem DEUM, & Patres patriæ, seu Magistratum, teste Paulo *2. Thessal. II, 4.*? Sanè quando Papa excommunicat Principes terræ, à juramento solvit subditos, ne amplius honorent parentes, contra literam hujus præcepti agit. Liberi infamibus parentibus obtemperare tenentur, cum maneat adhuc naturalis obligatio: & si inimicus diligendus omni tempore, multo magis parentes? Imò *Numerus*, omnibus neglectis conditionibus, simpliciter dicit: *Honora parentes*, uti Jonathan maledicti Saulis filius in. fecit. Mitto dispensationes Papales, circa clandestina Sponsalia, in sciiis & invitis parentibus contracta. Quodq; nolit Papa parentibus liberos reddi, qui clam illis surrepti, monasteriis inclusi, & votis constricti sunt, contra DEI verbum *Num. XXX. v. 6.* Qui in honorem quarti præcepti vult, ut filii, qui votum fecerunt

B

cerunt



cerunt nesciis parentibus, illud irritum faciant potius, quàm ut suis genitoribus sint adversi.

X. Juxta V. præceptum, *Non licet occidere quenquam*, aut quovis modo vitæ proximi nostri incommodare, aut agrè facere, sive id fiat factis, sive dictis, sive gestu, sive affectibus animi interioribus, juxta interpretationem Christi *Matth. V. 22*. Hic vana distinctio inter consilium & præceptum, transgressores ab homicidio non absolvet in judicio DEI. Papistæ, cum armis religionem Catholicam propagare contendunt, cum militares expeditiones ad *Terram sanctam*, *Patrimonio Petri* subjiciendam adornant, & diversum à se in religionis negotio sentientes, cruento modo de vitâ tollunt, in hoc præceptum peccant. Quot miseri per inventum *Inquisitionis hæreticæ pravitatis* miserè trucidati sunt? supra portam *Inquisitionis* in Hispania, hæc notata leguntur: *Occidite, crucifigite, strangulate, excarnificate!* Hæcine sunt arma, Christi Ecclesiæ concessa? Christus aliter instruit suos Legatos, *docete*, inquit, *omnes gentes, & si recusaverint vos recipere, fugite ex civitate in civitatem*. Christianos haud decet grassari in alios, sub prætextu religionis. Arium in Nicena Synodo damnatū Constant. M. non interfecit. Idem de aliis damnatis hæreticis verum, est Judæi *Saduceos* propter heterodoxiam, pœnis corporalibus non affecerunt. Hic autem quare libet. *An Episcopi Christiani bella gerere possint?* Potuerunt in Vet. Test. in casu necessitatis. Nam Herôes Maccabæi Levitæ fuerunt, sacris licet functionibus initiati: non item possunt in N. Test. ubi laboriosior Ministerii est occupatio. Facile est *maclare victimas*; At *verbum Dei* ὀρθόδοξον arduum & totius viri, omniumq; virium opus est. Rude tunc (ita Corn. à Lap. ad lib. 1. Maccab. 3. p. 20.) & carnale erat sacerdotium, sacerdotes enim erant quasi laniones in maclandis ovibus, & bobus Deo immolandis: quare & in iis discabant maclare hostes Israelis. *Nulli enim milites saviores sunt lanionibus*, qui assiduè in carne & sanguine versantur. In Nov. Test. scilicet, Episcopum oportet esse ἄμωχον 1. Tim. 3. μὴ πλεγκτικὸς non pugnacem Tit. 1. 7. Adâm Contzen. excipit à Canonis interdicto, gravem necessitatem, aut magnam utilitatem. Ego illam proclivius admiserim, quàm hanc. Interim opponimus  
p. 140.



præposteris illis bellatoribus. (1) *Christi & Apostolorum interdictum* Matth. 26. 52. 2. Cor. 10. 4. 1. Tim. 3. 3. 2. Tim. 2. v. 3. 4. (2) *Christi, & Apostolorum exemplum* Joh. 18. 36. (3) *Ministrorum Ecclesia officium* Luc. 22. 25. Nota est historia (apud *Matth. Paris.* in historia Antp.) Episcopi *Belluacensis* quem cum Belligeratore, cepisset *Richardus* Rex Angliæ, *Celestino* Papæ eum reposcenti, lorica misit, cum dicto, vide *an tunica filij tui sit, annon?* Cui Papa respondit, *non est Filius meus, vel Ecclesia, sed Martis potius quàm Christi.* (4) *Infelicem talium bellorum exitum.*

Bischoff Gerhold sochte mit dem Schwert/  
 Durchs Schwert kam er auch ab der Erd.  
 Darumb ihm viel nutzen gewesen wer/  
 Er wer gen Chor gangen/denn ins Heer.

Wolff. in Lect. Memorab. Cent. 16. p. 578. (5) *Patrum suffragium.* Chrysostomus, Sacerdotis est, populum monere, non movere arma &c. (6) *Quorundam ex ipsis Pontificia consensus.* Thom. 2, 2. q. 40. art. 2. Exercitia bellica repugnant illis officiis, quibus Episcopi, & Clerici deputantur, &c. Danhaw. Theol. Consc. T. 1. pag. 1029. Conzen. lib. 10. polit. cap. 1. pag. 739. Ecclesia ea unice habet arma, quibus ipsa primum collecta, & postea in omnes terrarum fines propagata fuit; utitur enim ancipiti & acuto Spir. S. gladio verbo *DNI*, tam ad *ἐλεγχον*, quàm ad *διδασκάλιον* utili, 2. Tim. III, 16. Hoc est sceptrum illud, quo Emmanuel noster ex Sione emissio, terrarum populos subegit. Sanguisugæ Pontificii agnoscant demùm cædes perpetratas, id est, quod optamus. Et discant bellatores Rom. Pontifices, à D. Tito, apud Suet. Tranq. abhorrere à cruentis bellis, *Qui Pontificatum maximum, ideo se professus accipere, ut puras servaret manus. fidem præstitit, nec autor posthac cujusquam reus, nec conscius, quamvis interdum ulciscendi causa non deesset. Sed periturum se potius, quam perditurum adjurans.*

XI. Accedimus ad VI Præceptum, (quod congruè subjicitur Quinto, cum homini post vitam nil optabilius sit, suavi & casto conjugio,) *Non mæchaberis.* In hoc præceptum graviter impin-



gunt Papisequæ, dum Conjugium, quod aliàs Sacramentis accen-  
sent, inter opera carnis referunt, omnibusq; Ecclesiasticis personis,  
Sacerdotibus, Monachis & Monialibus, dono castitatis haud in-  
structis, indifferenter matrimonio interdicut. Qui postea ebrieta-  
ti & otio, incitamenti ad immunditiem, dediti, in monasteriis vel  
scortantur, vel Onanitico scelere terram conspurcant. Hæc, ut  
dicam quod res est, statuta sunt saltem ante aliquot secula: Cæli-  
batus à Papis per tyrannidem in Ecclesiam introductus est. In  
Germaniam Gregor. VII. violenter induxit, ne sc. quid ab illatis  
bonis Ecclesiasticorum decebat, & uxor vel liberi eorum ea jure  
hæreditario secum asportent; olim non erat sic. Petrus, & multi an-  
tiquissimi Episcopi Romani, ut & prope omnes Patriarchæ Græcæ  
Ecclesiæ, à temporibus Apostolorum, in conjugio vixerunt. Sa-  
nè si omnia ordine & decenter in Ecclesia fierent, juxta Paulum,  
*1. Tim. III, 2. & 5.* ad Sacerdotium rectius uxorati adhiberentur, pro-  
pter mutuum auxiliũ, ideoq; uxores Apostoli tanquam sorores se-  
cum circumdecebant. Fateor quidem cælibes paratiores esse ad ser-  
viendũ Deo, tempore præprimis persecutionis *1. Cor. 7.* De cætero  
conjugium merito præfertur propter propagationem, & piam so-  
bolis educationem, vitæ laborumqve societatem, & deniqve ne  
muta peccata crebrò committantur. Nihil equidem per se vir-  
ginitas ad expianda peccata confert. *Paphnutius* cælebs, in Nice-  
no I. Concilio dixit: *consuetudinem cum propria uxore, castitatem esse,*  
teste Ruffino. Thomas Aq. in Summa quæ incipit, *Commiserationes*  
*Dni. c. 165.* Et Durandus in lib. de modo Concilii celebrandi,  
ex multis rationibus disputat, consultum fore ut in Concilio gene-  
rali sacerdotibus libertas conjugii restituitur. Mitto multiplices  
dissolutiones conjugatorum, quæ vincula Deus ligarat, & ligata  
vult ad usque mortem. Quoties in Papatu Conjugii vinculum  
solvitur, saltem ut maritus vel uxor monasterium intrent! Quot  
lupanaria passim constituunt & tolerant, unde Papa quæstum facit  
in signem? Nonne his VI. Præceptum infringitur?

XII. VII. Verbum sonat: *Non furtum facies.* Nemini vio-  
lenter aut fraudulenter surripias sua, si quid possides malo titulo,  
furtum



furtum te commississe scias. Ad hunc lydium lapidem probent  
Papistæ divitias suas, quas habent, & convincentur, pleraque Ec-  
cles. bona, nil nisi spolia esse. Olim Episcopi Romani aurum &  
argentum non habebant, bona immobilia nulla iis erant, susten-  
tabantur ex elemosynis piorum. Hodiernus Pontifex, factus  
quoque est Princeps hujus seculi potentissimus, terras possidet am-  
plissimas, & conficiendæ pecuniæ plus quàm mille modos novit,  
ut & in proverbium abierit; *Papa nunquam defuturos nummos,*  
*dum manus illi & calamus aderit.* Cardinalitium pileus, & Archi-Epi-  
scopale pallium ex lana textum, postea feretro Petri & Pauli imposi-  
tum, magno pretio, quotiescunque novus Cardinalis vel Archi-  
Episcopus inauguratur, venduntur. *Indulgentiis & Reservationi-*  
*bus pectoralibus, mentalibus, regressibus generalibus, & specialibus accessi-*  
*bus,* solum in Gallia annuatim plus quàm ducentos mille corona-  
tos mercari potest, ut relatum legimus in libro, cui tit. *Defensio*  
*Parisiensis curiæ pro libert. Eccles. Gall. Lud. XI. oblata, artic. 77. Sin-*  
*gulis Jubileis* (vigesimo quinto quoque anno,) ingens fit accessio  
ærarario Papali, tunc aperit thesaurum Indulgentiarum, constan-  
tem superabundantibus satisfactionibus Christi, & Sanctorum:  
& plena, plenior ac plenissima, ut Canonistæ loquuntur, Indul-  
gentia datur visitantibus stationes Romanas, pro certis nummis.  
Dici non potest quantam messem urbs Roma tunc faciat: Unde  
& satis congruè *Restaur. Castaldus in tractat. de Imperatore* scribit:  
Aulam Romanam rectius appellari, *Monarcham Simonia.* Et hæc  
pecuniæ postea non in rem fidei aut Reipubl. Christianæ, sed in  
propinquorum luxum, ad sublevandam ipsorum familiam, con-  
vertuntur. Inde sumptus impenduntur ad extruendas Basilicas  
Romanas, & ut manus colligatur ad extirpandos Evangelicos. Ad  
hujusmodi pecuniam à peccatoribus exigendam, Papa Cardina-  
lem suum proximum agnatum, magnum Pœnitentiarium depu-  
tat, cui omnes casus Papales, absolvendi facultas datur. Provi-  
sum quoque porrò, *ne quis dives vili pretio moriatur.* Persuaserunt  
enim populo, bene consuli animæ si moriens emat *Missas* anni-  
versarias, constituat Ecclesiam hæredem, quo citius in cœlum  
mortuus admittatur. Magnum quoque aucupium ex *Reliquiis*



*sanctorum* supposititiis, ut inde Tempia Regū arcibus splendidiora exstructa fuerint. *Festa* Sanctorum sunt illis dies sacrarum nundinarum. Inventa sunt mille discrimina ciborum, & prohibitiones matrimoniorum in gradibus verbo Dei concessis, saltem ut venderentur Dispensationes. His & similibus technis ac rapinis, Clerici sub Papatu ad se traxerunt quicquid optimum, Fundos, Castella, Baronias, Comitatus & Ducatus, cum omnimoda jurisdictione, ut inde Regum opes præ horum opulentia sint mera Paupertas. De quo avaritiæ regno & transgressionibus Septimi præcepti, pleni sunt libri Pontificiorum, & res ipsa loquitur. Illis non sunt beati pauperes, Matth. 5. Ex multis sufficiat unicum *S. Brigittæ* testimonium c. 142. ubi legitur Revelatio facta in Neapoli Sponsæ Christi, ostensa in mense Febr. de Papa Gregorio XI. *ejusq; curia; Eum bona subditorum Ecclesiæ indebitè surripere, & dare illa amicis suis temporalibus. In curia Papæ Rom. regnare superbiam maximam, cupiditates insatiabiles, & luxuriam Christo execrabilem, ac voraginem pestifera horribilis Simonie.* Quas Revelationes duo Pontifices, cum curiæ suæ Cardinalibus testati sunt esse authenticas, veritate plenas, & veraciter à Sp. S. edoctas! ut in proleg. de his Revelat. testatur *Cardinalis de Turre cremata.* Uti autem male parca male dilabuntur; ita post Reformationem pleraque bona hæc Ecclesiastica Papalia, (quæ pie loquendo, ex supra dictis causis, *Ecclesiastica* bona dici non merentur,) in alios profanos usus fuere conversa. Desinant igitur Jesuitæ suos Reges inflammare contra nos, ut armatâ manu repetant Episcopatus & monasteria, ab Evangelicis Principibus occupata; illi potius, qui cum Juda Ischariote Christum argenteis nummis vendiderunt, ablata restituant suis veris possessoribus. Aliter Diaconi in Actis Apost. & Paulus pro depauperatis Christianis, & ne quid Ecclesiæ deesset in necessariis, Collectas adornabant. Et Antiquitus non nisi in hos quatuor usus omnia bona Ecclesiastica convertebantur: una pars ad Episcopum, altera ad reliquum Clerum referebatur, ex tertia parte sustentabantur Pauperes & ægroti, ex residuo Oratoria & Scholæ, absque omni pompa extruebantur, sicut id *ius Canonicum* testatur. Scitote vos Papistæ! iniquum vestrum ditescendi modum, permittente Deo, inter alia quoque occasionem dedisse nostratibus, discedendi à devotione & obedientia, erga vestrum Papam Rom. Et id Salomon



Salomon *Prov. XXIV. 1. 2.* suadet: Ne amuleris viros malos, nec desideres esse cum eis, quia rapinas meditantur in ens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur.


XIII. *Non loqueris falsum testimonium*, præcipit Deus lege Octavâ. Veracitas est hujus præcepti primaria virtus; ne quis adferat, quod falsum est, fuit, aut erit. Ab adversariis hoc verbum DNI. non observatur, quamdiu inter alia sunt in illa sententia, Papam protestatione s. contradictione sua, omnes ad retrahendam fidem semel datam cogere posse. Quotiescunq; Pontificius Princeps pacem init cum aliis, Papa per Nuncium suum contra tale pactum protestatur, & à peccatis immunem pronunciat, licet fidem semel datam non servet amplius, & falsum dederit testimonium. Quis ignorat Episcopos Constantiensis Concilii, saluum Conductum Sigismundi Caesaris abolevisse, quem Hullo Constantiam contendenti dederat, & effecisse, ut Imperator falsum ferret testimonium, eundemq; contra testimonium Cæs. Majest. à vita fraudulenter sustulisse igne? Quomodo iterum in hoc præceptum impegerint Imperii ordines Noribergæ congregati, Anno 1522. apparet ex literis Adriani Papæ, quas Sleidanus lib. 3. allegat. Rectius cap. 9. Josua, licet deceptus à vicinis infidelibus, fidem semel datam servabat, id quod ei Sp. S. non fert vitio.

XIV. Audiamus IX. & X. Præcept. *Non concupisces*. Ubi prima ad malum propensio, etiam non accedente consensu, ipsaq; adeò naturæ corruptio originaria, nō exclusa tamen actualitate, prohibetur. Pontificii hic denuò pelagianizant, & sunt nobis contrarii, dum concupiscentiam in renatis non amplius pro peccato habent, sed per nequitiam infantum refutantur; imò dum Pontificii hanc concupiscentiam pro peccato non habēt, decalogum saltem octo præceptis includunt: Vel si rationem peccati habere debet, distinguunt inter malum pænæ & malum culpæ. eandemq; esse hujus rei rationem, quæ est morborum hæreditariorum, Podagræ, phthiseos, ubi liberi qui sunt extra culpam, eosdem tamen dolores & pœnas sentiunt, quos parentes experti sunt. Quærant latebras quotiescunq; velint. Paulus *Rom. VII.* clarè pronunciat, Concupiscentiam, de qua lex hic agit, esse peccatum, idq; sæpius hoc in capite facit: In octavo cap. v. 7. usq; adeò concupiscentiæ peccatum exaggerat, ut scribat; carnis cupiditatem



ditatem esse inimicitiam adversus Deum. Huc collimat Servator  
*Matib. V, 22.* voce *ei* temerè, qui ex insperato, ex improvviso, ani-  
mi commotionem perceperit adversus alium, tenebitur iudicio. vid.  
& *Lev. XIX. 17.* Et si juxta *Hilarij* reg. ex causis dicendi, dictorum  
intelligentia sumi debet; luculentum erit, hanc inordinatam adi-  
ram inclinationem, esse peccatum morte dignum. Jesuitæ ante 40.  
An. ex Ducatu Veneto relegabantur, quia concupiscebant domos &  
immobilia proximorù, cum præsentissimo interitu Reipublicæ. Sa-  
nè si Concupiscentia non est *avopias*, sequitur Pontificios concupi-  
scentes uxorem, liberos & domos proximi, rectè facere.

Tantum per DEI gratiam.



**Q**Uæ contra præcepta decem Romanus in Urbe  
Præsul proponit, pagina vestra notat.

Discutis errores, vero quod consonat ipsus

Urges; una etenim est intemerata fides.

Una basis scriptura manet, contraria nulla

Sunt, hinc PARSCHITI, tmemata vestra placent.

Nunc offers speciminn *Varno*, plaudente Senatu,

*Levcoris* inde tibi porriget alma manus.

*In honorem & singularem benevolentiam pii, & erudici*

*juvenis, hæc pauca cum voto omnigenæ salutis apponere voluit,*

**Christianus Woldenbergius, Phil. J. U. D.**

*Decretal. PP. & Ducal. Consist. Ass.*



**H**ORRIDA, terrentis, dum volvis fulmina, Legis

PARSCHITI docto pectore, mente, manu;

Hem! Phaëcont eos, ingenti pectoris ausu,

Errores, stygiis, dasq, sacrasq, vadis.

Hoc precor, hæc sanctis, fundo suspiria, votis,

Ut Jova passis pascere præco greges:

Aurea, qua Christi, divina munera virge,

Pramia erunt studij, quod colis usque tui.

Ut officio amici satisfaceret, ita optimis Præstantissimi

Dn. Respondendis conatibus acclamabat

**MICHAEL PANCRATIUS, D.**

☞ ) : 0 : ( ☞







